

Monumenta graeca

ad

Photium

ejusque historiam pertinentia,

quae

ex variis codicibus manuscriptis

collegit ediditque

J. Hergenroether,

S. Theologiae doctor, historiae ecclesiasticae et juris canonici in literarum Universitate Wirceburgensi
professor p. o.

• • •

XIX-369

Ratisbonae.

Typis et Sumptibus Georgii Josephi Manz.

1869.

P r o l e g o m e n a.

Quum decem fere annis permultos graecos codices MSS. perlustrarem ad detegenda Photii potissimum scripta publicae luci nondum redditia aliaque colligenda monumenta, quae historiae graeci schismatis accuratius describendae praesidio esse possent: id quod communis mortalius sors est quodque in ejusmodi indagine plerumque evenire solet, accedit et mihi, ut laborem meum satis arduum neque fructibus penitus destitutum neque ea, quae in votis erat, fructuum ubertate coronatum conspicerem. Etenim Photii homiliae diu jam ab aliis conquisitas ceteraque, quae desideraveram, reperire minime licuit et bibliographorum notitias haud paucas errore non fuisse immunes deprehendi. Attamen praeter editum jam librum de Spiritu sancti mystagogia et praeter alias graecos textus in Parisiensi J. P. Mignii editione vulgatos nonnulla nactus sum opuscula, quorum alia Photio vindicanda, alia ejus pseudepigraphis accensenda videntur, alia demum tum ejus et controversiae Latinos inter et Graecos tamdiu agitatae historiae non parum inserviunt. De quibus in praesentia nonnisi pauca praemonenda habemus, quum de plerisque fusius sermo sit in nostro opere, quod Photii historiam pertractat, et notae ipsi textui subjunctae tum reliqua scitu digna, tum unde hausta fuerint documenta, satis patefaciant. Proinde brevem dumtaxat eorumdem conspectum subjungendum censemus.

A. Photii de divina liturgia decretum quinque codices suppeditarunt, quatuor Vaticani et unus Monacensis. Pro Photio auctore argumenta externa praesto sunt, quibus interna, quoad ego scio, haud

adversantur. In codicibus enim MSS. vel Photii sanctissimi Patriarchae nomine praenotatur, ut in codd. Vatic. 1119 f. 7, b. et 1150 f. 127, a., vel ejusdem libris adjungitur ita, ut ad eumdem auctorem referendum prorsus videatur. Sane cod. Vatic. 828, saec. XIV., qui canonum collectionem continet, immediate hoc decretum p. 281 exhibit post Photii Συναγωγάς a Fontanio editas,¹⁾ et quidem velut ejusdem operis partem, sequentibus deinde quinque canonicis epistolis in Montacutii editione jam vulgatis. Codex quoque Vindob. gr. theol. 184 f. 58 idem decretum suppeditat tamquam nonam quaestionem ex iis, quibus praefatae Συναγωγαὶ constituuntur. Vatic. deinde 430 saec. XV. f. 221, b. idem decretum continet una cum fragmento ex Photii quaestionibus Amphilochianis (f. 155, a) et alias tractatus (f. 113, a; 126 a) complectitur, qui ad Missae sacrificium referuntur. Idem legitur in Monac. cod. 380 f. 151 post Nomocanonem et in citato Vaticano 1150 simul cum praefato Photii opere a Fontanio edito. Ex hoc posteriori codice apographum habuit Antonius Catiforus Venetiis adhuc in Marciana bibliotheca extans, qui pariter Photio hoc fragmentum asseruit.²⁾

B. Fragmenta dialectica¹⁾ deprompta sunt e codice Monaciensi 222 bombyc. saec. XIII. pretiosissimo, qui scholia Ammonii et Photii in Porphyrii Isagogen et in Aristotelis Categorias aliaque praeterea philosophica opuscula exhibit. Quae ibidem reperiuntur de Categoriis, ea jam in notis ad quaestiones Amphilochianas n. 137 et sequentes edenda curavimus.²⁾ Reliquiae esse videntur unius alteriusve eorum librorum, quos Photius jam diu ante memoratas quaestiones in usum discipulorum composuerat.³⁾

C. Fragmentum cuiusdam homiliae Photii, in quo judicium extrellum infelixque damnatorum sors depingitur, inter excerpta rhetorica apud Johannem Doxopatrium in commentariis ad Hermogenis librum primum περὶ εὐρέσεως inventum publici juris jam fecit cl. Cramerus.¹⁾ Ejusmodi ultimi judicii descriptiones in Patrum scriptis fre-

¹⁾ Nov. deliciae erudit. Florent. 1785 t. I P. II p. 1—80. Inde desumtus textus in PP. Gr. ed. J. P. Migne t. CIV p. 1219 seq. et apud Balletam in Append. ad Photii epist. Londini 1864 p. 559 seq.

²⁾ Vide opus nostrum de Photio t. III. p. 7 seq. not. 14. 15. p. 142 seq.

³⁾ Ib. t. I p. 380 seq., t. III. p. 259 not. 11.

⁴⁾ Migne PP. Gr. t. CI p. 758—797.

⁵⁾ q. 77. 78. 138. 141 ed. Paris. cit. (q. 76. 77. Append. n. 7. 10 ed. Oecon.)

⁶⁾ Anecd. Gr. Oxon. vol. IV. Oxon. 1837 p. 168. 169.

quenter occurunt; ²⁾ Photium, qui alibi consentanea habet, ³⁾ non solum Doxopatrius diserte auctorem hujus fragmenti nominat, ⁴⁾ sed dictio quoque ac disserendi modus confirmat. Suspicatus fueram, hoc frag-mento particulam nobis esse servatam prioris vel posterioris earum homiliarum, quas Patriarcha noster in Russorum irruptione 864 habuit;⁵⁾ verum detectae tandem opera cl. Kunikii et vulgatae a cl. Nauckio hae homiliae ⁶⁾ non ita rem se habere docuerunt. Nauckius se gavisurum ait, si sua editione excitati mox alii fuerint, qui has homilias emenda-tiores edant; ⁷⁾ jam huic operi manum admovi, frequenti Photianorum librorum lectione, quae non parum confert praesidii, maxime adjutus; verum succendentia alia aliis negotia hucusque rem ad exitum ne per-ducerem prohibuerunt. Interea sperare licet fore ut et aliae Photii homiliae e tenebris, in quibus diu jacuerunt, a doctis viris eruantur, quibus sacrum Montem adeundi copia ac facultas est.

D. Gnomologiam sive admonitionem per breves morales senten-tias, 214 gnomas complectentem, codici debemus Vaticano 742, immo potius ejusdem apographo, quod Venetiis in Marciana bibliotheca asser-tatur. Pleraque cum aliis moralium effatorum collectionibus contulimus, quotquot ad manus nobis erant, et ab editis hanc gnomologiam differre deprehendimus. Accedunt quatuor gnomae e codice Monacensi 429 chart. saec. XIV exscriptae, quibus perspicue nomen *Φωτίου* praefigitur.⁸⁾

E. Nicephori Photiique Patriarcharum atque Theodori Studitae aduersus Iconoclastas argumenta exhibet codex Vat. Palat. 361. Nonnulla quoque ex iisdem Matthaeus Blastares syntagmati alphabeticō ¹⁾ inseruit, pleraque vero Panopliae dogmaticae Euthymius Zigabenus ²⁾

²⁾ Vide v. g. Max. Opp. t. II p. 211 seq. 355 seq. ed. Combef. Damasc. Opp. in sacris Parallelis t. II p. 348 seq. et in Parallelis Rupef. ib. p. 755. Theophan. Ceram. hom. 18 (Migne t. CXXXII p. 396 seq. 409. 412).

³⁾ Phot. apud Oecum. in Rom. c. 13 p. 378, 379 in I Thessal. c. 4. p. 174 seq.

⁴⁾ Praecedunt ejusdem verba textui nostro: ή ἀπὸ τῶν μελλόντων ή διατύπωσις τοῦ πράγματος, ὡς ἔστιν ἐκεῖνο παρὰ τῷ Φωτίῳ.

⁵⁾ Op. cit. t. III p. 234.

⁶⁾ Lexicon Vindobonense recensuit et adnotatione critica instruxit Aug. Nauck. Accedit appendix duas Photii homilias et alia opuscula complectens. Petropoli 1867 p. 201—232.

⁷⁾ Nauck. Prooem. ed. cit. p. XXX.

⁸⁾ De hac Gnomologia sermo est in opere nostro historico t. III L. VIII c. 10 p. 240—242.

¹⁾ Lit. E c. 6. Migne t. CXLIV p. 1268. 1269.

²⁾ Tit. XXII. Ed. Tergobysti a. 1710 impressa et repetita a Migno t. CXXX p. 1164—1169.

et Thesauro fidei orthodoxae Nicetas Choniates.³⁾ Photio Germanum substituunt tum cod. Monac. 194 tum editio Panopliae a. 1710, quae et septimum addit Concilium. Major tamen codicum MSS., eorumque optimorum numerus, etiam Panopliam exhibentium, atque Nicetae thesaurus et Blastares Photii nomen retinent.⁴⁾ Plures hujus opusculi paragraphi inveniuntur in vulgatis Nicephori ac Theodori scriptis, adeo ut nonnisi breves quaedam sententiae Photio vindicari queant. Finis exemplaris nostri plane differt a textibus hucusque vulgatis.

F. Opusculum contra Francos¹⁾ Photio adscriptum, quod codici Vaticano 1101 ejusque apographo Marciano debemus, diligentiore a nobis disquisitionem efflagitavit.²⁾ Inter criminationes, quae contra Francos ceterosque Latinos proferuntur, quaedam Photii temporibus plane congruunt, aliae tamen penitus adversantur. Attamen hunc libellum, etiamsi immerito Photii nomen praeseferat, haud exigui sane momenti esse pro historia controversiarum, quae inter Graecos Latinosque exarserunt, legenti cuique patebit. Duplice addidimus latinam versionem,³⁾ quarum posterior jam dudum evulgata nonnullis paragraphis caret, aliis in earum locum suffectis. Nec desunt indicia, quae probant, huncce libellum olim magno in usu fuisse et a diversis Graecis vario modo auctum et locupletatum.

G. Protulimus quaedam ex Nicephori Gregorae oratione in S. Theophanonem Imperatricem, Leonis sapientis conjugem; orationem ipsam nimia prolixitate et ornatu oratorio paene fastidium afferentem, qualis exstat cod. Monac. gr. 10 f. 33 seq., edere operae pretium non duximus; collegimus ergo ea dumtaxat, quae ad Photianorum temporum historiam quodammodo pertinent.⁴⁾

H. Nicetae Byzantii philosophi capita syllogistica XXIV. de processione Spiritus sancti, primaevum contra Latinos decertandi

³⁾ Vide Bandinium et Maium ap. Mignium. t. CXL p. 289; t. CXXXIX p. 1100 t. 16.

⁴⁾ De Photio t. III L. VIII. c. 11 §. III, b. p. 254 seq.

⁵⁾ Cf. Maium Nov. Coll. t. I Praef. de Photio.

⁶⁾ De Phot. t. III L. VIII c. 6. Lit. B, e. p. 172 seq.

⁷⁾ Quum librum de Spiritus s. mystagogia ederem (a. 1857), cl. Bernhardy secutus nolui latinos sequestres graeco scriptori adjungere (vide praef. nostram p. XXV). Sed hoc consilium spectatissimis inter Theologos viris haud probatum est. Quibus libenter obsecutus haec monumenta omnia latina versione instruxi.

⁸⁾ Vide de Photii vita tom. II L. VII. c. 6. p. 674.